

**E X E R C I T A T I O  
IN MALACHIAE 3, 1.**

DE

**D U O B U S A N G E L I S  
E T S E L E C T O S**  
V. AC N. FOEDERIS  
TEXTUS HUC PERTINENTES,

CUM

**P A R E R G I S**  
IN MALACH. I, II.

ET

BIBLICAM HISTORIAM  
DE  
**S. PATRIARCHA ABRAHAM.**

---



---



---



---

**§. I.**

**DE ANGELO PRIMO.**

Hoc Prophetae oraculum perspicuum <sup>Primum</sup> sermonem reddit de duobus (non <sup>המלאך</sup>natura, sed officio) <sup>מלכים</sup> *Angelis*, <sup>Ange-</sup> <sup>lus est</sup> quorum inter se & characteres & munia <sup>S. Joan-</sup> haud parum distant. Primum *Angelum*, <sup>nes Ba.</sup> <sup>ptista.</sup> *five legatum* (ita a rad. <sup>לְאַךְ</sup> dictum) esse Joannem Baptistam, luculente affirmant *Mattb. 11, 10. 14., Marc. 1, 2., Luc. 7, 27..* Et quis Recutitorum insanis nae- niis ac commentis, aut captiosis Ant. *Collins & Sam. Parvisb.* offuciis illectus,

A

Evan-

Evangelicae huic veritati ausit obstrepe-  
re? Conf. Tertull. Lib. adv. *Judeos* edit.  
*Commel.* pag. 101. Dum vero in locis  
parallelis, *Mal.* 3, 1. & *Matth.* 11, 10.  
personarum mutatio occurrit, ad enal-  
lagen hoc refertur. In *Propheta* Christus  
ipse loquitur, in *Evangelista*, Deus Pa-  
ter ad Filium; vaticinii autem sensus  
est: Ecce ego mitto adhuc unum lega-  
tum & Prophetam *Matth.* 11, 10. & tum  
*Statim*, h.e., post sex menses *Luc.* 1, 36.  
nascetur Messias.

Censent Talmudistae primo *Angelo*  
denotari מלאך המתות Angelum mortis,  
aliumve coelestem genium, secundo in-  
dicari שכינה five ineffabilem divinae  
Majestatis praesentiam, quae denuo per  
*Urim & Tummim* dignetur respondere;  
sed haec sublesta effugia sunt, literae re-  
pugnantia, nulloque sacrae aut profa-  
nae historiae fundamento suffulta.

A Salvatore Elias dictus. Hic S. Praecursor in *Spiritu & vir-*  
*tute Eliae* *Luc.* 1, 17. Jesum antecessit.  
Quinimo hunc praenuntiatum Eliam  
reipsa advenisse, & S. Joannem esse,  
eundemque ad praeparandam viam ante  
Deumhominem legatum Christus disci-  
pulos suos *Matth.* 17, 20. edocet, conf.  
S. Chrys. bom. 10. in *Matth.* 3. c. edit.  
*Antv.* tom. 2. pag. 41. ubi perelegans &  
pia S. Joannis vitae descriptio habetur.

Ju-

Judei ex suo metempsychoseos dogmate existimant *Eliam ipsum*, in terras reversum, Messiam praecedere, in alio corpore, priori in cineres redacto non absimili. conf. *Kimbi in Malach.* 4, 5. apud *Lamy Harm. edit. Ven.* pag. 101; sed quam parum hic inter Judaeos conveniat, docet *Carpz. in notis ad Schikard.* *J. R. Hebraeorum edit. Lips.* pag. 452. Qui missi fuerunt ex *Pharisaeis Joann.* 1, 24. idem de *Elia Thesbite* opinati, interrogarunt: *Elias es tu?* hoc sensu *Joannes* respondit: *non sum Elias.* Spiritu enim & virtute tantum alter *Elias* fuit, & ex humilitate *Synedrio* denuntiat aliud *Isaiae* de se vaticinium, quin praesens *Malachiae* neget.

*Elias* & *Joannes* uterque magni va-  
tes, & collapcae inter Judaeos avitae Ex  
patrum religionis restauratores. Cinctu-  
ra & vestis utriusque fuit eadem. Jeza-  
belem & Achab *Elias*, Herodem atque Analo-  
Herodiadem *Joannes* libera increpatio-  
ne offendit *Conf. Gaudent. Brix. Ep. Tom.*  
7. B. PP. pag. 44. Ambo loca vasta  
& inculta procul a profana hominum  
multitudine habitarunt. Eodem numi-  
ne afflatus, eodemque divini honoris ze-  
lo in peccatores fuit uterque accensus.  
*Conf. S. Hier. in Matth.* 11. Et in Ss.  
literis quis insolitum dicet, defunctorum  
nomina iterum hominibus certis  
de

de causis e.g. ob similitudinem aut typum  
impertiri? Haec satis illustrantur *Isa.* 1,  
10., *Jer.* 30, 9., *Ezech.* 16, 46. 48., *Ose.*  
3, 5. Sic etiam 4. *Reg.* 9, 31. vocatur  
*Zebu Zambri.* *Matth.* 5, 22. *Infernus* di-  
citur *Gehenna* a גַּן הַנֶּסֶת *Vallis filii*  
*Hennom,* *Conf. Jos.* 15, 8 & 18, 16. *Apoc.*  
11, 8. *Roma* gentilis appellatur spiritua-  
liter *Sodoma* & *Aegyptus.* Quidni *Joan.*  
*Elias* nuncupari potuerit, cum Hebraei  
ipsi *Eliam* Prophetam ob zelum Domini,  
*Pbinees* nomine celebrent? dum alias  
profani saepenumero nomina: *Achilles*,  
*Augustus*, *Hercules*, *Tullius*, ob  
similitudinem excellentiae alteri cuidam  
attribuunt, nemo litem movebit; eccur-  
vero haec tropologia in Ss. Script. disipli-  
ceat?

*S. Marcus* 1, 2. 3. utrumque oracu-  
nium contexens in S. Joanne adimpletum  
*Malachiae* differit. Et Angelus Domini utprimum  
conjunctum *Joannis* nativitatem nuntiat *Luc.* 1, 17.  
*Isa.* idem *Zachariae* significat, ad quod V.  
40. 3. 76. in suo alludit cantico. A *Malachiae*  
vero tempore nullus omnino מֶלֶךְ הַכְּרִית יְהוָה  
templum accessit, nisi quem metatoris instar S. Joannes praecessit, viamque apparavit praedicatione  
baptismi poenitentiae & regni coelorum  
jam proximi *Conf. Nicol. de Clamengiis*  
*de fructu erem.* Tom. 8. B. PP. pag. 613.  
Cit.

Cit. *Isa.* 40, 3. manifeste Praecursor Domini praedicitur, non vero, ut inepte *Parvish* comminisci audet, solatium Israel ex Babel reducis, ac postea referta ejusdem felicitas; Cum enim Judaei ab exilio iter ad desolata patriae arva instituerent, Prophetae simul cum iis degabant, & nemo horum in deserto praedicandi munus obivisse legitur, quae igitur illa tum temporis vox clamantis in deserto fuerit? An Pharisei (Legati) Joannis responso acquieviscent, si Isaiae oraculum pridem jam suum habuisset eventum, aut alio in significato potuisse accipi? V. 9. subditur: *dic civitatibus Iuda: הנה אלהיכם Ecce Deus vester, utique עמנואל Emmanuel.* conf. sequentia de *adventu Domini Dei, de mercede, de Pastore*, quae cuncta *Apoc.* 22, 12. Christus J. sibi attribuit.

Certe in typo ac opere ipso S. Prae-  
cursor viam Domini paravit. Natus enim ex matre annosa & hucusque ste-  
rili ostendit, partum ex *עלמה Virginē* Conf. *Isa.* 7. omnipotentiae divinae vi-  
res haud excedere. Arbitratur S. Am-  
bros. *Serm.* 1. *de Nativ.* S. Joannis, non  
sine mysterio accidisse, ut Joannes, qui  
*V. Testamenti figuram gerebat, senis*  
*mulierculae frigido sanguine nasceretur,*  
*Dominus autem, qui regni coelestis Evan-*

ge-

gelium praedicavit, ferventis Juvenculae flore progrederetur. Praedicavit poenitentiam omnibus, salutis monita Pharisaeis, Sadducaeis \*) Publicanis, Militibus, turbis largiebatur. Praeconceptam arrogantium Judaeorum refutabat opinionem, qua se solos esse legitimam Abrahae prolem gloriabantur, ad quam pertineat regnum Dei. Indesinenter fidem in venturum שילה Conf. Gen. 49. excitavit. Erat lucerna ardens & lucens \*\*) fervore charitatis, doctrinae effi-

\*) Quisquis malitiam & lethiferas Phariseorum, Sadducaeorum, & Scribarum criminationes nonnihil perpendit, quomodo mente bona non accesserint ad Joann. Baptismum, sed *confilium Dei spreverint in semetipso*, non baptizati ab eo Luc. 3, 30. quinimo S. Praecursorem diffamarint Matth. II, 18. a Daemonis operazione tam austera illum vitam vivere, ac insuper virulentis dogmatis suis Matth. 3, 9. populum a Baptismo poenitentiae abduxerint, non potest non concludere adversus pseudocriticos, miserosque sciolos, quam merito haec Satanae, Serpentis antiqui instrumenta, progenies viperarum ab illo dicta sint, quo etiam postea nomine eos Salvator insigniit Matth. 12, 44. In his profecto diaboli filios Joann. 8, 44. se probarunt, dum hujus regnum contra Dei regnum statuminare moliti sunt.

\*\*) Joann. 5, 35. ita depraedicatur, quia non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine, nempe Christo, qui erat lux vera Joann. I,

efficacia, praedicatione veritatis, atque mirabili vitae sanctitate. Eo tandem S. Praecursoris potissimum legatio spe-  
ctavit *Luc. 1, 17.* ut convertat corda Pa-  
trum in filios & incredulos ad prudentiam  
justorum, parare Domino plebem perfe-  
ctam. \*\*\*)

*Matth.*

I, 8. 9. Joannes itaque Christum preecessit, ut lucerna solem aut diem, quo exorto lampas extinguitur, & Joannes, Christo homini-  
bus manifestato, occiditur. *Conf. S. Chrys.  
hom. 28. in Joann. edit. Antv. pag. 52.* ut om-  
nes multitudinis animi ad Christum converteren-  
tur, neque amplius circa utrumque eorum scin-  
derentur sententiae... Voluerunt Judaei *ad  
horam exultare in luce ejus*, *Joann. 5, 35.* Ali-  
quantisper scil. applausere Prophetiae Nationi  
redditae, ac initio cum mirifica laetitia ad vi-  
rūm doctrina & sanctitate inclytum confluxe-  
runt, sed utprimum libere Judaeorum incre-  
puit scelera, ac Jesu C. testimonium perhibuit,  
pro levitate & insigni nequitia sua ipsum coe-  
pere aspernari, & ut *Lamy in Harm. pag. 106.*  
existimat, primi in vincula conjecerunt.

\*\*\*) Sicut Elias *Eccles. 48, 10.* Christi *Judicis*  
in secundo adventu praecursor erit, ita S. Jo-  
annes *Redemptoris* in adventu primo tunc im-  
pendente praeco declaratur. Fuere tum Ju-  
daeи in varias Phariseorum, Sadducaeorum,  
Eessenorum &c. sectas divisi, moribus ac dog-  
matis immane inter se dissidentes. Illos velut  
& Samaritanos Messiam pariter exspectantes,  
in Christi Jesu cognitione erat adunaturus,  
ceu oves dispersas sub uno pastore: sicque pa-  
cem

**Et te.** *Matth. 3, Joann. 1, & 3.* Invicte  
 timo-  
 nium  
 deChri-  
 sto per-  
 hibet. de Christo testatur. Affirmat, se scire,  
 Jesum esse Messiam, non ab experientia,  
 hausta ex perspectis Jesu vita, opera-  
 tionibus & prodigiis, collatis cum ve-  
 terum Prophetarum oraculis, aut ex  
 convictus habita societate cum Jesu. \*)

Non

cem senes inter ac juvenes, *Patres & Filios*,  
 opinionum, rituum, & morum dissimilitudine  
 turbatam componens, & *incredulos*, immori-  
 gerosque *filios ad prudentiam justorum*, i. e.  
 ad veram sapientiam, qua aut viri justi piique  
 inclarescunt, aut quae ad veram justitiam cal-  
 lem sternit, convertet. Praeterea sua efficit  
 praedicatione, ut Judaei, *filii* legem non car-  
 nali, sed sensu spiritali intelligerent, quemad-  
 modum *Patres* eorum, Moses & Prophetae,  
 cumque hac spirituali intelligentia *cor Patrum*  
 ad *filios* ac vicissim &c. convertitur, dum fide  
 unanimi in Jesum Christum credentes, ceu  
 Redemptorem Israel totiusque mundi, saluta-  
 rem Evangelii doctrinam reciperent, ac Judaei  
 tum viventes rectam Patrum suorum fidem am-  
 pleterentur. . . . Si Joannis praedicatio etiam  
 tam optatos, largosque fructus non tulit; ni-  
 hilominus de eo posset dici *Marci 9, 12.*  
*Αποκαθιστα παντα & Luc. 1, 17. επιστρεψεις*  
*καιρδιασ πατερων*, quia hunc in finem peregit  
 omnia. Alias similia vocabula persaepe for-  
 tem conatum, & indefessam denotant operam.  
*Conf. Marc. 9, 12. 13. & 2. Thess. 2, 4.* &  
 haec hermenia ex sacris & profanis auctoribus  
 relucet.

\*) Non meretur responsum impia & blasphema  
*Alb. Rad. de Passeran* criminatio, Christum

Non ex praecognitis opinionibus aut  
persuasionibus ob sanguinis conjunctio-  
nem, ullamve antea consuetudinem, sed  
divina revelatione edoctus... Viri hu-  
jus tam egregii verax & summi momen-  
ti fuisse testimonium omnia rerum ad-  
juncta comprobant. Austeram sui ab-  
negationem, voluptatum, honorum,  
opum, & omnium mundi vanitatum  
con-

& Joannem post habita in Aegypto studiorum  
commercia, unanimi stropha ita secum decre-  
visse, ut *Hic* prius in deserto vitae maceratae  
insolito rigore omnes in sui raperet admiratio-  
nem, *Illum* postea ceu Prophetam longe ma-  
jorem adventurum, praediceret. Ita sine ulla  
adducta ratione filio iniquitatis libet blasphe-  
mare. Nullibi profecto ullus suspicioni lo-  
cus datur; nam si Zachariae senectus, officium  
sacerdotale, bona apud omnes aestimatio, en-  
comia illius Evangelica, sicut & Elisabeth  
character perpendantur, liquet, impossibile  
fuisse, conjuges hos fraudis aut mendacii in  
tam arduo negotio voluisse aut potuisse esse  
architectos... Sique status, conditio, aetas  
& adjuncta singula personarum Joseph, Ma-  
riae & Jesu simul conferantur, quibuscum  
fraudulenta illorum praecedere debuisset col-  
lusio, quis non luculenter cernit, illos omnes  
ad tam inexpiabilem & pericolosissimum dolum  
fuisse incapacissimos. De hoc legi meretur  
*Willb. Bell: Untersuchung der Göttlichen sen-  
dung Joannis des Täufers, und Jesu Chri-  
sti.*

contemnum semper p[re]se tulit. \*\*)  
Phariseis, Sadducaeis, Herodi cum  
vitae dispendio ingratam denuntiat ve-  
ritatem. Ecquid ad dandum hoc Jesu  
testimonium S. Praecursorem impulerit,  
nisi veritas & religio?... In magna sui  
aesti-

\*\*) Multi, quibus nihil in Sanctis Ss. Script.  
placet, sed omnia illorum gesta carpendi libi-  
do incessit, Bibliomachi, infenso ac inimico  
animo S. Joannem cavillantur. Hi Sanctum  
vitae Timoniae, imo Μισανθρωπιας accusant,  
& amictus rigorem, inediamque *Luc.* I, 80.  
& *Matth.* 3, 4. vehementer spernunt; verum  
tam asperum vitae genus extraordinario p[re]-  
coni, morum reformatori, Christi prodromo,  
qui alias *signum fecit nullum*, *Joann.* IO, 41. erat  
apprime necessarium, scil. ut tam castigata vi-  
tae norma cum severis poenitentiae exhortatio-  
nibus conjuncta, & veterum Prophetarum du-  
rae vitae aemula populi attentionem excitaret,  
verbo & exemplo dignos poenitentiae fructus  
ostenderet, & auctoritatem sibi conciliaret,  
omnibus tunc ad perniciem morum profligatis  
& perditis, quod patet ex Novo Testam. &  
Josepho Flav., qui abominandas tunc Judaeo-  
rum malitias fuisse transcripsit, quas forsitan  
gentiles erubuere.... Per multae adhuc causae  
funt, quae alterum hunc Eliam in locis solita-  
riis & incultis detinuere, & a licitis etiam vi-  
tae commodis abstraxere: harum plures non  
spernendas exhibet *Cl. Khroll in Hist. Evang.*  
*edit. Salis.* pag. 241.... Quid desertum, lo-  
cuteae, mel silvestre elucidamus ad lit. S. Evang.  
ex Ss. PP.. Nec sine utilitate veteres scripto-  
res consultum imus: e. g. *Aelian.*, *Aristoph.*,  
*Diod.*

aestimatione (etiam posthuma) \*\*\*)  
 quam virtus illi & sanctitas peperit,  
 semper humilitatis & eremi cultor per-  
 stitit, verbo & exemplo ad verae pie-  
 tatis studium omnes accedit. Et vir  
 tan-

*Diod. Sic., Plin.*, ut & ephemerides virorum,  
 qui plagas Orientis perlustrarunt. Mirabilis  
 in h. l. *Evang. commentatio est Centuriat. Magd.*  
*Cent. I. lib. I. c. IO. edit. Bas.* pag. 358.  
 Haec si subsisteret, quid de *deserto*, ubi saepe  
 Jesus orationi vacavit & pernoctavit, quid  
 de *jejunio* dicendum foret? Placet quidem Jo-  
 annis blanda de Agno Dei & fide doctrina,  
 sed vita ejus, & oratio de poenitentia ac di-  
 vino judicio aliquantum horrida displicet.  
 Amant illud dulce compendium, quod illis,  
 quomododemumcunque vivant, audax in Chri-  
 stum fiducia, & imputata ejus justitia submi-  
 nistrat, ut ita, velint nolint superi, sine luctu  
 consolationem, sine poenitentia veniam, sine  
 obedientia securitatem ac salutem sibi aliisque  
 certissime policeantur.

\*\*\* *Joseph. Antiq. 18, 7. edit. Franc.* pag. 526.  
 de S. Joanne scribit: *Apud Judaeos autem fuit  
 opinio, justa ultiōne numinis deletum Herodis  
 exercitum propter Joannem, qui Baptista co-  
 gnominatus est.* Hunc enim Tetrarcha necavit  
 virum optimum Judaeos excitantem ad virtutum  
 studia, & in primis pietatis ac justitiae, simul-  
 que ad Baptismi lavacrum, quod ita demum  
 Deo gratum ajebat fore, si non ab uno tantum,  
 alterove peccato abstineant, sed animis per ju-  
 stitiam prius mundatis, addant & puritatem  
 corporis. Quis hic Josephum de superstite  
 etiam post fata Joannis aestimatione suspe-  
 ctim reddat?

tantus, tamque singularis gravissimam de Messia quaestionem dirimit, quem Prophetae tam diu praenuntiarunt, cuius adventum natio universa avidissime praestolabatur, qui futurus erat Rex Israel, Salvator, & regni aeterni fundator: *Messiae*, inquam, adventum in lucem veritatis protulit, cuius vel brevi tempore sustinere personam, nemo, quantumcunque versipellis & astutus valuerit. Cogitentur historiae de Pseudo-Messiis Judaeorum e.g. de *Bar Coceba*, *Schlomo Molcho*, *Schabbathai*, *Zevi* &c... Certe solus S. Joann. character propheticus omnes elidit obloquentium incredulorum calumnias. Ostendit Messiam, praesagiit Christi mortem, adventum Spiritus S., quis unquam enthusiasta tot, tamque sublimia potest concipere?

Anti-  
logia  
appa-  
rens  
hoc te-  
stimo-  
nium  
non  
ener-  
vat.

*Matth. 11.* S. Joannes in vincula ductus per discipulos Christum interrogat: *Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?* Quam sincera Evangelistarum fides? dum supradictum recensent testimonium adeo disertum, simul etiam obortum haud silent dubium; Verum S. Joannem de Jesu Christo dubitasse, nunquam ex hoc loc. evincent increduli. \*)

Re-

\*) *Tertull. adv. Marc. 4, 18.* Joannem reipsa dubitasse scribit. S. Hier. & ex hoc V. Beda lib.

Recte multi ita interpretantur: Sciebat Praecursor Christum, quem baptizavit, ac digito commonstravit, his in terris versari; cum postea vincitus esset, rumor ad ipsum de magno quodam Prophetam, qui tot in Galilaea miracula patrasset, etiam pervenerat, vere igitur voluit rescire, utrum hic Thaumatur-

gus

lib. 2. *in Luc.* loc. hunc exponunt de descensu ad limbum Patrum, & Messia ibidem inferis annuntiando; sed prior sententia Praecursori, Evangelio, magnificisque Jesu de Joanne praconiis adversatur, & altera opinio aliis Ss. PP. nequaquam placet, nec cum Jesu responsis videtur consonare... Putant nonnulli, S. Joannem de Jesu missione coepisse ambigere, eoquod se minus comprobaret potentem terrenum principem, qui Judaeos ex Romanorum servitute, & Joannem in libertatem e vinculis assereret, quam quidem praeconceptam Joannis, sicut & Judaeorum, imo Apostolorum opinionem fuisse putant de regno Messiae, ejusque felicitate. Tandem quidam censem, Joannem, ejusque discipulos subiisse admirationem, cur Jesus editis tot ubique prodigiis non Praecursorem suum, omni beneficio ac defensione dignissimum, ex hostium manibus eruptum iret, & hac interrogatione autumant, S. Joannem Jesu openi implorasse; verum utraque recentiorum sententia, quidquid acuminis praeseferat, merito displicet; nam S. Joann. Spiritu S. repletus prae cunctis characterbus Jesu novit, quem ceu Agnum Dei pro mundi peccatis, immolandum esse praedixit. *Conf. Sixt. Sen. B. S. edit. Franc.* pag. 528.

gus ille esset, quem ad ripas Jordanis tinixerat, Propheta, seu **שִׁילָה** *venturus*; sed verius plures ita censem: Cum S. Joann. adverteret, discipulos suos in fide Messiae adhuc nutantes, & aliqua etiam invidia ex stupendis Jesu prodigiis laborare, dum Joannes nullo prorsus signo clarebat, scil. ut hac agendi ratione evidens discrimen Praecursorem inter & Messiam ipsum pateret; ante necem suam huic discipulorum suorum infirmitati cupiens mederi, illos ad ipsum Servatorem legavit, ut suo nomine interrogantes, veritatem compertam haberent, illique porro adhaererent, ceu vero Messiae; ergo non sui, quod foveret, dubii amoliendi gratia, legationem instituit, sed ut fluctuantes discipulorum animos in fide Christi corroboraret. *Conf. Matth. 11, 6. & 14, 12. S. Chrys. hom. 27. in Matth. 11. cit. edit. tom. 2. pag. 377.*

S. Jo-  
annes  
maxi-  
mus in-  
terPro-  
phetas.

*Matth. 11, 11. Non surrexit inter  
natos mulierum major, Joanne Baptista. \*)*

S.

\*) *Qui autem minor est in regno coelorum, ma-  
jor est illo. Qui cum Deo regnant Ss. Angeli  
& coelites, ad beatissimum Dei aspectum jam  
admissi, Joanne viatore, adhuc in praelio  
constituto, qui ad regnum illud contendit,  
sunt praestantiores. Ss. PP. non pauci existi-  
mant,*

*S. Lucas* id praerogativae declarat, 7,  
28. dum addit: *Propheta.* Theopneusti  
vatis dignitas ex ministerio dependet;  
Veteres Prophetae Christum lapsu tem-  
porum adfuturum praedicebant; S. Jo-  
annes vero Christum intuitus est, ba-  
ptizavit, & circumfusae turbae monstra-  
vit. Comparatur cum V.T. Sanctis, quos  
inter eminebant Ss. Prophetae, & tan-  
tis extollitur laudibus, ut Judaei tantam  
Praecursoris dignitatem edocti, intelli-  
gerent qualis, quantusque ille esset, cui  
testimonium perhibuerat. Haec illustra-  
ta vide in *S. Cyp. ep. ad Juba. circa finem*  
*nobis* pag. 186. edit. Paris.

*Ioann. I, 21.* Legitur: *Propheta* S. Jo-  
*es tu?* & respondit: non. Hic S. Joan- annes  
se Pro-  
nes inficiari videtur prophetam se esse. phe.  
Verum in fonte est artic. demonst. tam es-  
se haud  
quem latinus interpres omisit: signanter negat.  
fa-

mant, quod Servator h. loc. seipsum modeste  
Joanni anteferat. Scil. ille, qui Joanne mi-  
nor est, tum aetate, cum fama hominum  
& aestimatione Judaeorum, Jesus Christus ma-  
jor est illo virtute, potestate, majestate, cla-  
ritate & divinitate... Judaeis persuasum erat,  
inter Prophetas Mosen summum esse, sed  
Evangelica doctrina tradit, S. Joannem Pro-  
phetis cunctis praecellere; nihilominus, con-  
sideratis omnibus, S. Joannem infinite a Chri-  
sto superari, imo minimo Jesu discipulo offi-  
cii dignitate haud esse parem, consequitur.

Sacerdotes & Levitae sciscitantur, an ille esset eximius ille Propheta, quem Deus *Deut.* 18, 18. pollicitus est, quemque natio tum temporis unice anhelabat, adfore, ac populus praesertim S. Joannem esse existimabat *Luc.* 3, 15. Non igitur Joannes repugnat *Zachariae*, qui cecinit: *Tu puer Propheta &c. nec Christo*, qui eum depraedicat plus quam *Prophetam*. Scil. Propheta erat Joannes, sed non ille, de quo mota quaestio.

Textum hunc Christianis objicit *Ahmed filius Zin Alabedin Persa Asphahensis* in lib. inscripto: *Politor speculi*, cui doctissimus Quadagnola in *Apol. pro Christ. relig.* invictis respondet argumentis, quomodo perpensis Prophetae conditionibus, Joannes dici potuerit Propheta, attentis vero aliis ex humilitatis affectu se talem esse, potuerit negare.

**Prophetae & Lex usque ad Joannem.** Legis Mosaicae & Prophetarum omnium typi & vaticinia Christum promiserere, & diversis adumbrarunt figuris usque ad S. Joannis praedicationem, qua manifeste apparere coepit *Christus finis legis ad justitiam omni credenti Rom. 10, 4.* \*) Eundem loc. Christianis objicit.

\*) *Ab hoc tempore regnum coelorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Dedit S. Praecursor primus signum praedicatione sua, & quasi vexillum ad rapiendum regnum coelorum erexit: nunc

cit. *Ahmed*, ajens, in Evang. tamen postea adpromitti Prophetas & scribas. Celeberr. Guadagnola respondet, Prophetas κατ ξοχην illos tantum dici, qui summum Incarnati verbi mysterium, excellentissimum Dei O. M. promissum, ex quo universa profluunt bona, prae- nuntiarunt; Joannem ideo, prosequitur, inter Prophetas esse ultimum, qui in Christum J. digitum intendens, dixit: *Ecce Agnus Dei* &c. dum postea Christus Prophetas a se missum iri, asseverat, no- men Prophetae latiore sensu capiendum putat, scil. pro viris, qui Spiritum qui- dem propheticum habituri sint, sed non arctiore sensu ac significatione dici amplius Prophetae possint, cum inef- fabile illud bonum jam hominibus esset datum.

## §. II.

### DE SECUNDO ANGELO.

Hic Angelus vocatur הַאֲרוֹן *Dominus*  
*Psal. 110, 1. Gen. 48. המֶלֶךְ הַגּוֹל*

Ange-  
lus se-  
cundus  
Chri-  
stus est.

nunc illud a magno hominum concursu, quasi vi & eruptione facta, invaditur, cum olim pauci ad aeternam contenderent felicitatem. Et qui a regno hoc alieni videbantur gentiles, Publicani, meretrices & peccatores in illud irruunt, illudque rapiunt, Judaeis regni haere- dibus culpa sua & ignavia extorribus.

Angelus redemptor. Job. 33, 23. מֶלֶךְ אֵלָק  
 Angelus intercessor. Isa. 63, 9. מֶלֶךְ מַלְיכִים  
 Angelus divini vultus. Jud. 13, 18. פָנִים  
 Isa. 9, 6. פָלא admirabilis. Praecepit  
 hoc loc. dicitur מֶלֶךְ הַבְּרִית Angelus foederis, quia non solum in Sina  
 legis Mosaicae foedus cum populo Israel icere dignatus est, sed etiam in plenitude  
 temporis cum omnibus terrae nationibus Evangeliae gratiae foedus novum, foedus pacis, pactum sempiternum voluit pacisci Conf. Isa. 42, 6. Jer. 31, 31., Ezech. 37, 26., Hebr. 8, 8.

De hoc Angelo foederis diversa Iudeorum est sententia. Aevo S. Hieronymi, conf. in Malach. 3. verba referabant ad Messiam, quem sicut olim, ita & nunc exspectant (Elia Thesbite prodromo) venturum. Moderni vero Iudei intelligunt de ipso Elia, quia zelo zelavit foedus circumcisionis. Hodierinis moribus quoties puerum circumcidunt, sellam pariter Eliae adornant, putantes, Spiritum Eliae praesentis ante faciem pueri circumcidendi praeshire, pro circumcisionis pacto zelantem, sed apage putidas Iudeorum fabellas!

*Venit in templo plumbeum,* Luc. 2. a V. 22. Tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. Sistitur in Templo Sancto suo Dominus templi,

pli, Deus verus, qui solus templum suum, in quo adoretur, habet. *Conf.*  
*S. Athan. de comm. Ejj. P. F. & Sp. S.*  
*edit. Col. pag. 255.* & inde factum est,  
ut major esset gloria domus istius novissimae, quam primae *Conf. Agg. 4.* Hanc templi Zorobabelici maximam gloriam & praerogativam, consolationem Israel, Jesum viderunt conspicui pietate Simeon (Talmudicis etiam tabulis celebratus) & Anna, quorum jubilis haud dubie omnium aures arrectae sunt, simul & oculi, animique in Jesum conversi; nam *Anna loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant redēptionem Israel v. 38.* & postea erat docens quotidie in templo. *Luc.*

## 19, 47.

Esto, veros Messiae characteres ac <sup>Christus de-</sup>  
*munia \*) Judaeorum multi superbis ab-* <sup>sidera-</sup>  
*re-* <sup>tus in</sup>  
*adven-* <sup>primo</sup>  
*tu.*

\*) Judaei bene gnari, in lege Israelitis morigeris referta terrenae felicitatis sponderi praemia, aperte concluserunt, vitae praesentis bona peculiaria divinae clementiae esse testimonia, aerumnas autem semper a vindice Deo peccatoribus infligi. Unde sicut principes eorum ac duces Moses, Josue, David, Salomo, Machabaei in coeptis suis fere semper prospera fortuna usi sunt, ita quoque sublimitate, splendore, ac fortuna omnibus retro principibus ac regibus Messiam suum putabant superiorem. *Percrebuerat oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judaea profecti rerum potirentur.* *Conf. Suet. in Vespas.* Va-

repti praejudiciis non perspexerint; ardentissimis tamen votis omnes Salvatorem exspectarunt, ceu desideratum nationibus cunctis, quod exprimitur Gen. 49,10.. Isa. 2. & 60. & concinne Agg. 2,7. חַמְרָת כָּל הָגּוֹם desiderium omnium gentium & Mala. 3, 2. מִכְּקָשִׁים & חֲפָצִים quem quaeritis & desideratis.

**Terribilis in secundum do** C. 3. v. 5. Manifeste denotat adventum Christi ad excidium Jerosolymae, ubi gravissima sceleratis ultio intentatur, illa vero Jerusalem vastitas extremi iudicii typus est. Et hunc *diem Domini magnum & horribilem* verus Elias praece-

Vaticinia quaedam de regni Messiae tranquillitate, felicitate, & omnis generis ubertate (certe non carnali) ad literam, quae occidit, intellexerunt. Populus utrumque signa Iesu aspexit, turbam multam cibo reficientis, illico regem illum sibi eligere decrevit; nam tanto sub duce nonnisi opes, emolumenta, victorias de Romanis sibi poterant ad promittere: de hoc perdocte differunt Johann. Jortin von den Vorurtheilen der Juden und Heiden, und Geschichte der drey letzten Lebensjahre Jesu Lib. I. C. I. Sola vero Praecursoris vita aspera & concio Judaeis potuit testatum facere, quod nullum mundi Monarcham prænuntiaret. Et hodierni Judaei quam impense adventum Messiae, qualem ipsi quidem describunt, & cupiunt, indies precentur paradoxis orationum formulis, ne impatientia servitatis & odio contra Christianos illum videantur optare, erudite docet Will. Schikard. in Jure reg. Heb. pag. 462.

cedet, quem nonnullae graecae & arab.  
editiones hoc loc. *Thesbiten* appellant.  
*Conf. Eccles.* 48, 10. *Matth.* 17, 11. *Do-*  
*roth. Tyr. Ep. in Syn.* de vit. *Propb. B. PP.*  
*Tom. 2. pag. 157. & Tom. 5. pag. 204.*  
*Julian. Pom. Archiep. Tol. c. Judaeos.*

Non solum Judaeorum sacerdotes,  
Levitas & doctores emundaturus, saepe  
erudiit, ac reprehendit, sed etiam *Act. vi.*

6, 7. verbo Domini crescente *multa tur-*  
*ba sacerdotum obediebat fidei.* Praecipue  
in Lege Evang. sacerdotes, *Angelos*  
*Domini Mal. 2, 7.* ut evangelizandi offi-  
cio rite fungantur, ceu idoneos mini-  
stros ac misteriorum Dei dispensatores,  
charismatis & variis exornat gratiis. Non  
igitur hic tantum Levitae & Judaici sa-  
cerdotes, quorum Sacrificia prorsus  
abolenda, intelligi queunt, sed novi  
foederis sacerdotes, Apostoli, eorum  
discipuli atque successores.

*Civitate & Sanctuario Jerusalem dis-*  
*sipatis, vastitate, statutaque desolatio-*  
*ne Dan. 9, 26. Sedeunt filii Israel . . .*  
*sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod,*  
*& sine Theraphim Ose. 3, 4. ergo non Aa-*  
*ronicum, sed Ecclesiae, quae est nova*  
*Sion Dei, Sacrificium notatur, & hoc*  
*Domino placebit. Si enim a diebus saecu-*  
*li Sacrificia Noe, Abrahae, Melchise-*  
*dech, umbrae tantum & typi, divinae*  
*benedictionis redundantiam toti familiae,*  
imo

Place-  
bit Do-  
mino  
Sacrifi-  
cium  
Juda &  
Jerusa-  
lein.

imo terrarum orbi impetrarint, quantum non placebit Sacrificium Christi, veritas & antitypus. *Conf. Apoc. 13, 8.*

### §. III.

## PARERGA IN MALACH. I, II.

### I.

*Mal. 1, II. Praedicitur Sacrificium quodpiam, abrogato Judaico, a gentibus in omni loco offerendum.*

Legis, sacerdotii, & Levit. sacrificiorum finem Prophetae complures praesagierunt: de his *conf. lib. Testimoniorum adv. Jud. inter opera S. Cyp. edit. Par. pag. 344.* ubi plane cumulateque S. P. complectitur divina magisteria, quibus nos Dominus erudire & instituere dignatus est... cit. v. Sacrifica Legis rejiciuntur: מנהה לא ארצה מירכט Vulg.: munus non recipiam de manu vestra: subditur, ab ortu solis usque ad occasum magnum fore Dei nomen בגוי in gentibus, ac in omni loco nomini ejus oblatum iri מנהה טהורד Oblationem mundam, quia magnum erit nomen Dei in gentibus. Igitur venit hora, & nunc est quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate *Ioann. 4, 23.* Non externis tantum ritibus, typicisque Sacrificiis, sed Sacrificio quodam V. Legis ceremonias implente, & oratione, cultuque spirituali.

II.

## II.

מןחה טהורה (vel a rad. arab.  vel ab heb. מננה) OBLATIONEM MUNDAM, peculiare esse Sacrificium, & a precibus, votis, caeterisque religionis officiis distinctum esse, constat.

Haec quidem late sumto nomine sacrificia audiunt; verum Ss. literae id genus sacrificia semper cum adjuncto significant e. g. *Psal. 4, 6.* זבח יtron *Sacrificia iustitiae.* *Psal. 27, 7.* זבח תרועה *Sacrificia vociferationis.* *Psal. 50, 14.* זבח תודה *Sacrificium laudis;* sed novum sacrificium, quod Judaicis successorum sit, designatur; nam spiritualia haec sacrificia jam ab orbe condito, & postea a Judaeis olim & nunc esse frequentata, haud dubium est. Male igitur *Targum Jonathan* hoc oraculum transfundit & ad *preces* inflectit. Haec *מנחה* dicitur *Oblatio pura;* ergo bona hominum opera non sunt, quantalibet enim sanctitate praefulgeant mortales, semper ex Adversariorum opinione, impura ac lethali culpa infecta sunt: dumque non in uno mundi angulo, sed per universum orbem offerenda praedicitur, nequit esse cruentum Crucis sacrificium, quod Jerosolymae tantum peractum est

## III.

## III.

*Insigne hoc vaticinium incruentum Sacrificium Corporis & sanguinis Christi in Eucaristia denotat.*

Nullum aliud sacrificium externum ac visibile, quale hominum natura exigit *Conf. Trid. sess. 22, c. 1.* ostendi potest. Hoc in omni loco, *a solis ortu usque ad occasum* Deo offertur. Hoc Christus in suprema coena obtulit, & in sui commemorationem ab Apostolis fieri mandavit. *Luc. 22.* *Hoc facite in meam commemorationem.* Haec una oblatio illa, quae nulla indignitate, nulla offendit malitia potest inquinari. Idem Sacrificium, quod in Cruce fuit oblatum, in Missa peragitur. *Conf. Lindan. Panop. Evang. Lib. IV. cont. Vannum:* est etiam unus utrinque sacerdos: *conf. Cat. Trid. pag. 231. edit. Bass...* dum *Sal. Glass. Phil. S. edit. Jen. pag. 322.* per propheticum loquendi morem *ad cultum N. T.* & *gentium ad Ecclesiam vocationem* respici docet, nimis a literali expositione deflectit. Certe *Heb. 7, 12* non dicitur sublatum ex orbe *Sacerdotium, sed translatum* in Ecclesiam Christi, & *Apostolus c. 13, 10.* ait: *Habemus altare, de quo edere potestatem non habent, qui tabernaculo deserunt.* Hoc iuge sacrificium est, *Dan. 8, 11. & 12.* praefiguratum sacrificio Melchisedech *Gen. 14, 18.*, neque Christo, quod

quod sacerdos sit in aeternum secundum ordinem Melchisedech Psal. 101, 4. & Heb. 7, 1., convenit, nisi ratione sacrificii Eucharistici, quod in coena instituit, & indies per Sacerdotes ministros suos offert.

## IV.

*Prisci Ecclesiae Patres hoc oraculum ita intellexerunt.*

Veritatem hanc diserte elucidat *S. Ire.* lib. 4. c. 32. edit. *Le Preux*, ubi pag. 261. addit. *Novi Testamenti novam docuit oblationem*, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo... *Nicol. Gallasius* in annot. in *Iren.* pag. 393. frustra admittitur h. loc. de מנה ad mystica detorquere; nam cit. *S. P.* expressam mentionem de corpore & sanguine praemisit. *Conf.* simul *S. Just.* dial. cum *Trypb.* edit. commel. pag. 269. *S. Chrys.* *Hom.* in *Psal. 95.* Tom. I. edit. *Antv.* *S. Aug.* de *civ.* Lib. 18. c. 35. ejusdem edit. *Theodoret.* in c. 1. *Mala.* *Euf.* lib. 1. demonst. *Ev.* c. 10. edit. *Baf.*... Teste *Joann. Sleidano* *Comm.* de *Rel.* edit. an. 1555. lib. 1. pag. nobis 3. *Lutherus Sylvestro Prieriae* prescripsit: *Quod verbo Dei consentaneum sit, amplectendum, ac praeter eam doctrinam, quae sit a Prophetis vel Apostolis relecta, non esse recipiendam aliam, quamlibet etiam sit speciosa: qui proxime ad illam accesserint, Scriptores admittendos, de caeteris vero*

*vero faciendum esse judicium.* Nonne Catholica nostra sententia Ss. literis appri-  
me conformis est & consentanea, atque Patres tam docti & antiqui luculentis suf-  
fragiis ad illam accedunt. Tandem quoties *Ecclesia Dei vivi, columna & firmamen-  
tum veritatis;* Tim. 3, 15. de ea non fecit judicium?

#### §. IV.

### HISTORIA BIBLICA DE ABRAHAM.

#### *EX V. TESTAMENTO.*

1. In S. Historia Abrahamitica (quam utriusque foederis paginae exhibent) nihil superfluum, inutile nihil, licet alia aliis graviora sint & pretiosiora.

2. An natus sit anno Thare 70, sive 130., teste *S. Hier. in qq. Heb.* indissolubilis nascitur quaestio: quid prae cunctis hic sit verisimile, explicamus.

3. Promissa (Spiritualis) benedictio *Gen. 12, 3. & 22, 18.* in Christo Jesu eventum tulit.

4. A Melchisedech, qui in typum Eucharistiae obtulit, benedictionem recepit, & dedit ei decimas ex omnibus vere tales.

5. Circumcisionem haud didicit in Aegypto.

6. Praeceptum, Isaac immolandi, Deo non repugnat, nec *Gen. 22, 2.* menda-  
cium

ciūm involvit: Illud divinum esse, Abraham perspicue potuit scire, illudque debuit adimplere.

7. Dum Abraham Sarai uxorem duxit — hanc sororem suam penes Pharaonem & Abimelech dixit — munera ingentia detulit — ad Agar ancillam, desiderio feminis, ingressus est — illam aliquando cum Ismael ejecit — se a Lot sejunxit — cum Abimelech & Phicol foedus inivit — Filios Cethurae cum donis ad Arabiam incolendam transmisit, multa de typo, de dispensata (si ita res se habet) polygamia, de saeculi Patriarchalis infantia & reliquis difficultatibus, adversus novos Manichaeos dilucidanda sunt. Omnia tamen Patrum gesta prorsus excusari, vix poterunt.

### *EX N. TESTAMENTO.*

1. Antequam Abraham fieret, Christus jam extitit, scil. filius Dei, dum praeludens Incarnationi sub forma humana se conspicuum praebuit.

2. Abraham hunc diem Christi vidit & gravisus est. *Gen. 18.*

3. Non, qui semen Abrahae, omnes filii sunt: *id est, non qui filii carnis, sed filii Dei Rom. 9, 8. sed qui filii promissionis.* Perperam ergo Judaei se cum foedere antiquo repudiari non posse, & ad sese omnes & solos regnum Messiae pertinere gloriantur.

4. Potens est Deus de lapidibus istis (ad ripam Jordanis) suscitare filios Abrahae. Res significata divinae omnipotentiae non est impossibilis *Conf. Luc. 19, 40.* In figurato loquendi genere re ipsa suscitavit Deus semen Abrahae ex lapidibus, cum gentes efferas, & cautibus similes suffecit in locum Judaeorum, ut essent veri Abrahae filii, & promissionum haeredes, *gentes*, inquam, quae lapides & simulacra colunt, ideoque in Script. lapidibus comparantur *Conf. Psal. Heb. 115, 8.*

5. Abrahae filii Abrahae opera faciunt; alias nec genus, nec fides, nec sanctitas Abrahae quidquam prodest. *Conf. Isa. 63, 16.*

6. Zachaeus eo quod & ipse sit filius Abrahae; indicat Dominus, alios adhuc esse filios Abrahae, qui ex lumbis ejus non prodierunt... Doctrina de filiis Abrahae quanti fuerit olim momenti in theologia Judaica, paraeneses S. Joann. B. & controversiae S. Pauli declarant.

7. Mortuus est Lazarus & portabatur in sinum Abrahae. Phrasis hebraica (a Talmudistis adoptata) desumpta est a puerulis in gremio parentum suaviter quiescentibus *Conf. S. Chry. Hom. de divite tom. 2. edit. Antv. pag. 527.* sive ab antiquo more conviviorum *Conf. Matth. 8, 11.* & significat portum quietis & salutis,

ad

ad quem credentium Pater post vitae hujus procellas appulit: ex quo patet Lazarus summus honor, qui in illa felicitatis justorum regione Abrahae proximus dicitur, cuius eximiam fidem & invictam in perferendis aerumnis constantiam in se expressit.

8. Ait Abraham: si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Patet dupli exemplu: veri *Lazari* redivivi, quem nihilominus Judaei volebant interficere, & *Christi* ipsius, cuius anaftas in Moses & Prophetae praedicaverunt, cui tamen non crediderunt; certe animus indomitis affectibus abreptus nulla re potest retineri, & sciens & vivus perit.

### *EX TALMUD.*

Si Bibliomachi contra divinae Scripturae depositum hodie summa acie dirigant, quidquid in profanis, apocryphis, ethnicis legunt voluminibus; quidni liceat, pariter ejusmodi citare libros, qui aut revelatam veritatem confirmant, aut se ipsos refutent, dum sacram historiam tractare audent.

1. Judaei Abraham a Chaldaeis in fornacem ardentem conjectum, & miraculo liberatum putant: favent huic opinioni *Vulg.* 2. *Esd.* 9, 7. & *S. Hier.* tradit. *bebr.* in *Gen.*, nata autem est ex amphibologia voc. **מַאֲוֹר**

2. Judaei S. hanc historiam nimis interpolant, lepida, falsa, Abrahae sanctitati adversa narrant. e. g. quomodo in schola Sem adolescens legem scriptam & oralem servarit — Idola Thare in taberna comminuerit Juvenis — quod docuerit metempyschosin, & concubinarum suarum filios magiam — Librum Jezira &c. & preces matutinas concinnarit — Cur Deus ante circumcisionem illi chaldaice locutus — Quod camelus ejus idola fugitarit — Quomodo Patrem & non nullos alios ex inferno redemerit, & nunc ejusdem foribus assidens circumcisos omnes vindicet — quod spondam, juxta aliam RR. lectionem, sellam ex uno dente Og, qui Eliezer confecerit — quod urbem ferream, colluentibus margaritis, Cethurae filiis excitarit.

3. Cum recentiores Judaeos tot fabellarum tandem pudeat, Majores suos excusaturi, omnia in allegorias transformant; Cum vero Talmudici Scriptores ipsi portentosa sua commenta haec ad literam intellexerint, & ita explicari cupiant, causa patrocinio non bona pejor erit.

4. Quinimo miseri Verpi *Mischnam* & *Gemaram* textui Biblico non modo conferunt, sed etiam praeferre non dubitant.

==

### EX ALCORANO.

1. Sur. *Familia Amran* dicit impostor Prophe-

ta: *Certe Deus elegit & familiam* **وَالْأَبْرَاهِيمُ**

*Abrahae; sed multa hic falsissima statim admisceret*  
*ex ignorantia & nequitia.*

2. Sur. *Mulieres Deum loquentem inducit:*

*Inspiravimus Noe & Prophetis, postea* **بَعْدَهُ**

*وَأَوْحَيْنَا لِأَبْرَاهِيمَ وَإِسْمَاعِيلَ* **وَإِنْسِرَافِ**

*apparuiimus Abrahām & Ismael: ergo fatetur re-*  
*velationem veram jam fuisse ante Coranum; imo*  
*Ss. Script. libros a Christianis haberi ac legi diffe-*  
*rit in Suris: Vacca, Jona, Mensa. Adhaec fidei*  
*professionem commendat sur. familia Amran, dic:*

*credimus in Deum, & quod traditum est nobis*  
**وَمَا أَنْزَلْنَا عَلَى أَبْرَاهِيمَ & quod missum**  
*est ad Abraham; fingit enim Sacros libros huic*  
*Patriarchae, multisque aliis esse impertitos. Mos-*  
*leimi quidem Abrahae decem traditos esse, delirant.*

3. Sur. *Prophetæ commentum Rabbinicum pro-*  
*ponit de Abraham cum gente sua contra idola*  
*digladiantem. Eandem fabulam & cramben reco-*  
*quit sur. Ordinatrices, ubi exposita Abrahae pro-*  
*batione & obedientia pro Isaac substituit falso*  
**إِسْمَاعِيلَ**

4. *Abraham & Ismael delubrum Meccanum ex-*  
*struxisse mentitur, & Abraham a se in tertio coe-*  
*lo visum esse, quando ope jumenti Alborach in*  
*coelum ad Deum usque ascendit ... Mentitur Ab-*  
*raham fuisse Mosleum ex secta sua Mahumetica,*  
*& Satanam ab illo in itinere ad holocaustum esse*  
*lapidatum --- taedet referre, quae pergit menti-*  
*ri de S. Patriarcha, suris: Conjurati & Hegr.*

5. In hoc libro ridiculae prostant epigraphae,  
vix unquam *suris* in argumento convenientes, non  
secus, ac si ethnicus subscripsisset Jovis simulacro:  
*Mercurio sacrum.* Omnia volumina a capite ad

calcem armis, foeminis, praedis, caedibus, fabulis, nugis, mendaciis, superstitionibus referata sunt: pauca ex Christianorum libris sublata, sani aliquid piique redolent.

### *EX GENTILIBUS.*

I. Berosus, Hecataeus Abderita, *conf. Joseph.*  
*Antiq. lib. I. c 8. pag. 16. edit. Franc.. Artapanus, Eupolemus, Melo, Alexander Polyhistor,*  
*conf. Eus. lib. 9. praep. Ev. edit. Bas. c. 4. Abraham* celebrant, ac astrologiae aliarumque scientiarum apud sacerdotes Aegyptios moderatorem & characterum Hebr. inventorem praedicant --- Antiqui gentium Scriptores etsi S. Historiam interpolent, ejusque lacinias fabulis suis immisceant, longe tamen aequiores tanti Viri arbitri sunt, quam moderni Bibliorum Aristarchi & Marciones.

2. Regnum *Abrahae* Damascenum, quod Nicol. Dam. *apud Jos. cit. loc.* erexit, caret fundamento.

3. Alexander Sev., teste Lamprid. in *Sev.*, ex Hebraeorum ac Christianorum relatione cognitam *Abrahae* gloriam admiratus, Patriarcham inter lares suos accensuit.

---

### SUB PRAESIDIO

P. SERAPHINI HIPPLER,  
 S. SCRIPT. LECT.

R E S P O N D E B U N T

P. ANGELUS KALB,

ET

P. AMADEUS BAUCH,

IN CONVENTU MARIANO PROPE FULD. ORD. FF. MIN.  
 STRICT. OBS. RECOLL. PROV. THUR. S. ELISABETH,  
 SS. LITERARUM AUDITORES.

Anno MDCCCLXXX die

---

Fuldae, typis J. J. Stahel, Typog. & Bibl. Aulac & Univ.

Index

Piss. principiorum

1.) Oberthura Theses.

2.) Hensel de cultu Ls.


3.) De Reibelt, Dis uox Maitsergauv vnde dicitur in 1. Epis. Mosis III. 15. -


4.) Piso quid conferant linguae orientales  
in Systemate Catholicum


5.) Alexii de mysterio incarnationis


6.) Anasita Rosa Preognita generalia  
Sc. Scripture

7.) St. Hypatius de Quibus angelis









## TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007



A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19

## TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007





